

1781.

- *
1. Siegmarius, Fridericus Huldericus Lector: Continuatio
observationum ad pantheas. Programma, quo
sunt et reliqui Doctores pro. ius. solemnis doc.
doctoralia Friderici Hulderici lenti Siegmanni
indicant
2. Bauer, Thureus Grapetus, pro. ius. procuratorialium:
De jure pecuniae penalis, quae vocatur
Liberum. Anantum in concurn exercitorum. Pr.
gramma, quo solemnis Doctoralia Christiani
Friderici Schmiederi indicat.
3. Breckin, Georgius Nicolaus: De processos et
theoriae in pale; nesci et usq..
4. Linckius, Christopherus Gottlob: De legislatio nis origine
et natura.
5. Linckius, Christ. Gottlob: De conjunctione elo-
quentiae cum iuris prudentia.
6. Linckius, Christ. Gottlob: De multitudine librorum
a tutela rodie quoque excusante.

1781.

7. Pöhlius Christianus Rittericus: De jure et fide
detracte

8. Pöhlmannus, Ius. Sud. Em. prae. ius praeualectorum:
Deco, quod inter fundum pecuniarium, pecuniam
fundalem, pecuniam ex fundo solvendam et
constitutionem fundalem interest. Programma, quo sol-
lum in angaria latae locis Henrici Tetralia
indicat.

9. Pöhlmannus, Ius. Sud. Em. prae. ius praeualectorum:
De vallo. Programma, quo saltem in angaria
locis Christiani Ernesti Ulrici indicat.

10. Pöhlmannus, Ius. Sud. Em. prae. ius praeualectorum:
Decimus
conventione.

11. Richter, Anst. Gall: De pena libato
principiis extra ordinem impedita in dies
tricennium differenda ad 1.20 p. de paenit.

12. Sigerus, Ich. Thesphilus: De bancis contumaciarum

13. Sigerus, Ich. Thesphilus: De coloniis
colosseis mercatorum
in Germania et praecipue in Saxonia.

1781.

14. Lignamius, Frider. Huldericus Crel: De jure
disciplina summi in imperio indorum ab
carthaginian continentiam in cives mediatis
land fundata.

15. Stockmann, August Crel: De jure testamenti
nati prescripti

16. Wenck, Fridericus Augustus Gribelius: De acqui-
stione iuris in alienorum. Programma,
quo actionem utilitatem initat.

17. Wenck, Fridericus Aug. Gribelius: De concessione
iuris in imperio Rumanico-Germanico.

18. Winkelker, Carolus Gottlieb: De contractibus
feminarum procuratorum iustitiae
validis. Programma, quo actionem utilitatem
initiat.

19. Zollern, Fr. Gottlieb: De restitutione in iste.
gram ex capite absentiae.

1781.

20. Zollerus, Fr. Gallib : Recuperatione librorum
ad alias causas, in Nov. 115 non expressas
extendenda.
21. Zollerus, Fr. Gallib : Observations singu-
lares et paud. lib II fol. 2 et fol. 4.
22. Zollerus, Fr. Gallib : Observations practicae
23. Zollerus, Fr. Gallib : Utrum negotios, si pares
sum heredes non facti, ea compere liceantur
in hereditatem, quae eorum praedictis pare-
bus accepissent.
24. Zollerus, Fr. Gallib : Observations singulares et
paudictas lib I. fol. 8.
25. Zollerus, Fr. Gallib : De eo, quod iustum est,
circa exercitium directorii consilialis sive
magistrina vacante
26. Zollerus, Fr. Gallib : Observations practicae
27. Zollerus, Fr. Gallib : De successione statu-
aria conjugum

1781, 3.
DE
P R A X E O S E T T H E O R I A E
INDOLE, NEXV ET VSV

DISSERTATIO PHILOSOPHICA
Q V A M
A M P L I S S I M I P H I L O S O P H O R V M O R D I N I S
IN ACADEMIA LIPSIENSIS

C O N S E N S V

A. D. XVIII. MAI A. R. S. CD 13 CCLXXXI

PUBLICO ERUDITORVM EXAMINI SUBIICIENT


M. GEORGIVS NICOLAVS BREHM

C U R I A N Y S,

ATQVE CERTAMINIS SOCIVS
C A R O L V S T H E O P H I L V S P L A T O

LVSAT. ET THEOL. CVLT.

LIPSIAE,
EX OFFICINA BÜTTNERIA.



DE

PRAEPOSITA THEORIAE

INDOCTRI NEXA ET ASA

DIGESTATIS PHILOSOPHIA

GRADU

VITIOSI MIRATIONUM ORIGINIS

IN ACADEMIA LIPSIENSIA

CONFERENS

ALLEGORICIS ET HISTORICIS SCHOLIA

M. GEORGII NICOLAVAS RHEM

ERGONOMIA

ETICA CIVITATIS SOCIAE

CIVICORVM THEOLOGIAE PLATO

ET HOMINIS LIBERTATIS QVI

1715 1716

EXQVIRICINA ET TITULARIA



§. I.

Notum est, quam diuersae sint eruditorum de Theoriae et Praxeos vni sententiae. Alter, quidquid insigne et praeclarum habetur, derivat e schola et Theoriis: alter idem illud summo studio vindicat vitae et Praxi. Hinc Praxi omni reiecta, ille solam attollit Theoriam; hic Theoriis explosis solam effert Praxin. Hoc in primis conspicuum est ex tot, tamque diuersis doctorum sententiis in educandi, docendi, discendique ratione, caute et feliciter instituenda; quorum alii e sola vita et vni; alii e solis scholae et magistri praeceptis iuuenem et virum sunt formaturi. Interea tamen in celebranda Theoria seculum magis praecedens: in laudanda Praxi nostrum potissimum videtur peccare. Vti enim omnis illa aetas Theoriam fere spirabat, adeo ut senectae rugis laborans calua interdum videatur; sic nostra, nihil nisi praxin olenis, incuit timorem, ne robore virili amissio, imberbe tandem evadat. Hoc igitur modo de Theoria et Praxi opiniones mutantur, variantque vti vellum colores et formae. Non quidem in horum dissensuum causis eruendis diutius libet commorari; quia plures sunt, quam persequi hic licet: sed tamen latere potissimum videntur in eo, quod pauci Theoriae et Praxeos inspiciunt naturam et indolem. Cum enim altera vim suam demittat in alteram, et inter se quasi coalescendo illa in hanc, haecque in illam abire

A

inter-

2

◆◆◆◆◆

interdum et transmutari videatur; ob nexus arctissimum non invenire differentiam, quae hanc et illam intercedit. Hinc definire neciunt, quid utraque praestet, quique huius et illius in rebus fieri possit et debat usus. Operaे igitur pretium esse duco, paulo altius repeterem et explicare materiem, quae ob mira, quae eius subtilior cognitio praestabit emolumenta, non modo summa nostra attentione videtur digna; sed et aequis harum rerum aestimatoribus non potest non esse iucunda. Ordinem autem a Praxi, inde per gemus ad Theoriam. Quamuis enim idem esse videatur, fiat initium a Theoria, an Praxi; in speculando tamen melius incipitur a Praxi; vti in agendo potius praemitti solet Theoria. Ceterum in his euoluendis et explicandis veritabimur ita: vt primum utriusque eruamus significatum atque naturam; deinde ostendamus, qualem Praxis et Theoria inter se habeant nexus et rationem: Sic tandem sponte cognosci poterit, qui huius et illius ad res fieri possit et debat usus.

§. II.

Proprie autem Praxis, vti iam annuit origo vocis, absolutur agendo et operando. Quid quidem agere et operari sit, sentiri magis debet, quam qui paucis describere conemur. Attamen quia agimus et operamur, non, vt frustra consumamus vires; sed vt opus aliquod efficiatur; cum actio suscepta, tum opus ipsum inde enatum ad Praxin soler refert. Sic igitur Praxis primum confitit potissimum in corporis exercitio, maximam partem subtilioris meditationis experite. Deinde alia accedit huius vocis significatio. Quia enim inter agendum etiam obseruamus et experimur, quae sint, vel siant; hisque obseruationibus et experientia edocemur, quae fieri possint et debeant: haec omnis cognitio, siue euoluta sit e nobis met ipsiis; siue venerit e vita, ad Praxin reseretur. Hoc igitur significatu Praxis intendit etiam cognitionem et experientiam sensu cum interno, tum externo haustam. Sic Praxin, seu cognitionem religionis practicam habere interdum dicitur, qui illius vim in animo suo ipse expertus est: Sic rei publicae praefecto, qui diu et multum his rebus dedit operam, Praxin attribuimus, id est, harum rerum cognitionem, earumque perficiendarum peritiam et dexteritatem, vnu ipso haustam et firmaram. Haec autem practica cognitio maximam partem versatur in singulis, id est exemplis, casibus, phaenomenis, etc obseruandis et experiendis. Quae obseruatio, si solo nimirum sensu communi; Praxeos communis, et vulgaris etiam nomine venit; quia hominum quoque vulgus eam habet, et in ea plerumque subsistit. Sic tota vita communis

nis Praxeos voce insignitur: Sic historica cognitio, dum in singulis di-
ctis, factis, inventis moratur enarrandis et describendis, ad scientiam vul-
garem fere pertinet: Sic in primis historia naturalis, quatenus rerum
nomina solummodo refert, vix alia est, quam scientia communis, saltem
si mera referat, ut hausta sunt. Nec enim omnis scientia, nec qualibet
actio in eruditis ipsis deprehenditur erudita. Est quidam mechanismus,
ut vocant eruditorum aequae ac opificum; quamvis haec caeca expe-
riendi et agendi facultas vniue fere ad opera illiberalia et artes sellularias
transferatur. Praxis autem, quae dicitur erudita, tum demum opponi
potest vulgari, si formata et aucta sit principiis, regulis et praeceptis. Sic
igitur Praxis significat cum actionem, tum scientiam in singulis conspi-
cuam, quarum haec et illa vel vulgaris vel docta esse potest. Illa magis
institutu sensu, ingenio et memoria; haec magis iudicio subtili et exacto.
Tandem Praxeos vox sensu sumitur proorsus singulari, dum Iurisperiti et
Medici eam aliis vel cessisse vel vendidisse dicuntur. Quamvis enim his
quoque Praxis eo significatu tribuatur, quo iudicandi et agendi peritiam
e vita et vsu sibi acquisitam intendit: clarum tamen est, hunc significa-
tum hic non posse admitti; quia nec scientia nec agendi dexteritas per
manus quasi traditur et emitur. Hic Praxis potius significat agendi
forum, vnde panis et vitae ducitur sustentatio. Nimirum pro hoc
rerum statu, agendo solum vitae querenda sunt alimenta, ita ut nemo
acturus sit gratis, ut nec frustra egisse vult videri. Artes et labores pre-
missi afficiuntur, ut habeat artifex, vnde viuat. Sit igitur non modo
agendi campus et artis exercendae occasio; sint quoque necessaria est,
qui artem agnoscant, et remunerent. Hoc agendi forum, hosque alimen-
torum riuelos et fontes, quos sibi quisque arte et agendi dexteritate ape-
rit et seruat; quosque alii etiam cedit, Praxi appellant, i. e. pro-
vinciam, vitae sustentandae causa ab eo, cui ceditur, administrandam et
procurandam. Eodem fere sensu opifices, artifices, mercatores etc. ne-
gotia sua, (Gewerbe, Geschäfte, Handlung, Kundschafft) cum quaestu inde-
sporando, aliis cedunt et vendunt *a)*.

A. 2

§. III.

- a)* E dictis intelligimus etiam varii generis Praxeos naturam. Vti diuer-
sus est agendi et cognoscendi modus et plures habentur actionis et
cognitionis species; ita Praxis etiam varie et multipliciter distribuitur.
Sic enim primum ob virium, quae in agendo exercentur, vel altiore, vel inferiore
naturam, Praxis dicitur esse cum nobilior; tum ignobilior.
Deinde quia vel actio componitur ad mera exempla, idque viribus uti in-
sistae

4

sitae sunt a natura; vel ad regulas et praecepta, et quidem viribus arte et industria auctis: Praxis esse censetur vel vulgaris et communis; vel artificiosa, quo ex parte referri potest erudita. Quae vero Praxis appellatur inutilior, utiliorque; et rerum praecepue, quibus conficitur, inter homines vnu definitur. Praceos igitur diuersas classes cum e virium ipsarum, quibus vniuersit diuersa natura; tum e difficultatum, quae in agendo enaefentur vario gradu; tum etiam e rerum, quae mortales inde percipiunt emolumenstis, aestimari certum est. Quia tamen nec virium diuersas classes inter agendum ita se exerunt separatae; vt cogitando singimus et singi potest: quia etiam nec difficultatis cum actionibus coniunctae; nee utilitatis inter agendum enatae, certa sibique constans habetur mensura; apparet, cur tam difficile sit, iuste aestimare Praceos species diuersas. Inde fit, vt interdum vix dici possit, num hoc vel illud vitac genus ad Praxin vulgarem et communem, an ad artificiosam eruditamque adeo debeat referri. Eadem ratio est cum Praxi, quae nobilior et ignobilior, utilis et inutilis vocatur. Hinc enim accidit, vt interdum neficias, virum inter opifices et artifices; an inter eruditos numeres. Sic ars futoris ad Praxin haud dubie pertinet vulgarem; vt pictoris ad artificiosam; sed in virtute aliquid deprehenditur, cur ab imprudenti huic et illi possit adiungi: Sic pictoris et eruditii labores plane inter se diuersi, quaedam communia habent, vt inde artifex ex parte inter eruditos, et eruditus inter artifices possit haberet: Sic tandem arti cum alia, par et maior saepe est difficultas et utilitas, quas habet et praestat; et tamen illa longe huic posthabetur.

§. III.

Ex his apparet, quis dicatur Practicus, quidue vocabula Practicum et Practice significant. Practicus primum dicitur ille, qui vitam possimum transfigit agendo et operando. Hinc vulgares operarii, opifices, et ex parte etiam artifices hoc nomine audiunt. Deinde Practicus, si species cognitionem, vocatur, qui rerum, quam habet notitiam, ex ipsa vita et vnu sibi conciliauit: Sic vir conuerfando, peregrinandoque conspicuus inter Practicos refertur. Praeterea Practicus appellatur, qui hac ipsi experientia duce didicit, quae apta sunt vitae, quaeque vnu sunt accommodata: Sic rerum cum sacrarum, tum ciuilium periti, qui vnu longo edocet rerum gerendarum naeli sunt scientiam, Practicorum nomine compellantur. Idem tenendum est in eo, quod Practicum esse, fierique Practice asserimus: Sic artificia et opificia interdum vocamus Practica, quia caeca quadam agendi facultate nituntur: Sic institutio et educatio dicitur Practica, quae non tam rerum explicat naturam; quam earum ad vitam felicem docet vnum: Sic historia Practice enarratur; si rebus enarratis immisceantur pie et prudenter viuendi agendique regulae et prae-

praecepta: Sic tandem iudicium vocatur Præticum, quod rerum non modo, vt sunt, habuerit cognitionem; sed et ad eas obtinendas sibi facile aperuerit viam. Iam autem quoque velim notari, diuerſas esse voces, quae idem fere, quod alias Præticum et Prætice dicitur, exprimant. Sic Præticum, quatenus intendit ea, quae petita sunt ex Praxi, dicitur interdum Empiricum, vt inde Philosophiae, artis Medicæ etc. partem constituant Empiricam seu Præticam et Artificiosam seu Theoreticam. Eadem ratione Præticum in Physica dicitur Experimentale; opponiturque Physica Experimentalis Dogmaticæ. Idem in Astronomia dicitur Sphaericum: Sic astrorum scientia distribuitur in Sphaericam et Theoricam, quarum illa sensibus magis; haec potius iudicio niti videtur. Significat fere eodem Præticum dicitur Naturale; sive Logica Naturalis opponitur Eruditæ et Artificiose. Deinde quod sensu eo dicimus Præticum, quo rerum inter homines ostenditur et augetur usus; in doctrina Morali ex parte dicitur Asceticum; in Historia Pragmaticum *b).*

- b)* Haec vocula inter scriptores in primis historicos visitata, adeo placet, vt ilius quoque in aliis scientiis crebriorem optauerim vnum. Huius enim vocabuli facta adoptione multas euitatur esse ambiguitates, quas iam ob vocis commoda inopiam temere incurrimus. Quia enim Præticum modo significat, quod e Praxi tenetur; modo quod Praxi inferuit; dubium haud raro est, vtrum hoc, an illud intelligas. Sic est in Philosophia, quam vocamus Præticam; quae cum iam hoc, iam illo sensu sumatur, efficit, vt dubites interdum, quo sensu ceperis. Si autem voci Præticum adiunxerimus voculum Pragmaticum, vt nimis alterum significet, quod e Praxi hauritur; alterum quod vitae et Praxi conducit; essent voce, quibus res plane inter se diuerſae, distinetius, quam sit, exprimerentur.

§. IV.

Vt autem, quae e Praxi formantur et Praxi inserunt, suas habent virtutes; ita tamen virtus quoque laborant. Quod primum attinet virtutes; Praxis, quia in singulis magis subsistit, viam ingreditur, quae cum in agendo, tum cognoscendo videtur planior et apertior. Sensibus enim subiecta sponte veniant, nec tanta in his percipiendis opus est virium intentione, quam quae in iis euoluendis et explicandis videtur ineuitabilis. Inde etiam ex parte sensibus duci malumus, quam ratione. Hinc etiam agendi et cognoscendi ratio, quae instituitur Prætica, ob virium debilium naturam parvulis et vitae vulgaris hominibus tantopere suadetur, vt cum illorum educatio, tum horum instruacio formetur, potissimum *e*

Praxi. In hac posita est popularis illa docendi ratio, quam sapientes
 prisci vocabant Exoticam et Exotericam. Haec autem docendi, dissen-
 dique consuetudo adeo iam placet, ut ob nimium Praxeos studium soli-
 diora interdum spernantur. Solidior enim cognitio parit molestiam:
 sed fugimus, quae molesta sunt. Deinde, quae e Praxi formata sunt, ce-
 teris etiam deprehendimus efficaciora. Naturae enim humanae haec est
 ratio, vt, quae sensibus adseruntur, celerius, ideoque fortius agant, quam
 quae meditando quasi venamur et aucupamur. Sensus externus obie-
 cta, vt aduolant et irruunt, cito et vniuersim excipit: interna vero medi-
 tatio, quia in partibus singulis euoluendis moratur, lente incedit, et pe-
 detentim. Quia etiam Praxis singulorum multitudinem docet diuisim;
 rebus dat spatum, vt penitus imprimantur: Theoria vero aggerit ea
 coniunctum et cateruatum estque subitaneo imbris similis; hinc tempus eri-
 pit menti, quo minus in euoluendo sequatur, et euoluta altius inficit.
 Practica institutio in primis praefens est hominibus mouendis. Inde
 oratores et poetae malunt vt singulis et concretis, vt vocamus, id est
 exemplis, casibus, fabulis etc. quam abstractis, seu regulis et praceptis.
 Student potius Theoriae principia singulorum ope accommodare sen-
 sui; quam sensibus subiecta sapientia more redigere et reuocare ad
 principia. Tandem etiam, quae Praxi habentur, in vita magis sunt frugi-
 fera et utilia: Id quod partim et dictis appareret; partim ex eo clarum est,
 quod rerum inter homines doceant vsum. Rerum autem nouissimum; ex
 coque formasse consilia; et ad haec exsequenda inde sibi aperuisse viam,
 non modo summa mortalium est sapientia, sed et beatitudo. Interea Pra-
 xeos etiam sunt quedam maculae. Primum enim cancellis suis nimis
 arte inclusa, rerum quidem multarum docet particulas; sed illa sola du-
 ce vix circumscribimus earum totam ambagem. Inde homines vnu et
 experientia edocti, ex omnibus aliquid; ex toto nihil cepisse interdum di-
 cuntur. Deinde Praxis propterea quoque manca esse censeretur, quod, cum
 niti potius videatur facultate caeca, quam ratione, in superficie obserret,
 et rerum solummodo teneat formam externam. Inde etiam Practicum
 haud raro est id, quod Mechanicum, vt adeo artificum quidam labores
 contemnit dicantur Mechanici. Hinc etiam, quae e Praxi seu vita for-
 matur scientia, aequa fere est inordinata et confusa; ac actiones ea duce
 confectae interdum sunt temerariae et imprudentes. E Praxi etiam, quia
 per ambages incedit, lente venir perfecta actio et dilatata cognitio. Re-
 rum enim multitudo immensa est adeo, vt sola singulorum cognitione
 nec in agendo, neque cognoscendo exoptatos semper facturi simus pro-
 gressus.

gressus. Hic ii sunt exemplo, qui e Praxi et experientia instituti, felicititer quidem agunt, dum in singulis iisdem verfantur; dum vero rerum mutata ratio alium fuader agendi modum, consilii inopes aut stupent ignari, aut incurii peccant. Multis in rebus opus est principiis et agendi regulis; harum autem ex vsu demum et Praxi sibi constituendarum vel sera, vel nulla est occasio. Tandem, quae sunt et formatae sunt e Praxi, cito et fortiter quidem vim suam exserunt in homines; sed effectus interdum non firmiores sunt causis. Id corporis aequa ac mentis ostendunt habitus, e Praxi acquisiti. Sic Musicus e Praxi sola absolutus, qui non assidue digitos exercet, breui exuet artem. Sic qui linguam hau- sit ex vsu, nisi quotidie fere loquatur, scientiam facilime amittere. Sic oratorum et poëtarum, quo citius mouent impressiones, eo magis sunt fluxae et fugaces. Ficti enim poetarum casus, similitudines et exempla statim quidem primo impetu concutunt et quasi surripient mentem: sed quia non tam iudicium, quam sensus, memoria et ingenium earum capiunt partem; hinc eiusmodi mentis commixtio, quae magis in caeco quodam impetu, quam consilio est fundata, minus est perennis; quam memoria eorum, quibus moueri nos patiebamur. Cum igitur mens ex ista prima quasi perturbatione ad se redierit et rerum vanitatem perspexerit; relinquet agendi propositionem. Sic e Praxi quidem formatur scientia firma; sed non religio, seu conscientia, et diurna animi ad agendum propensio. Hic enim valet illud: quod cito fit, cito perit. Praecepta vero et argumenta lente primum agunt, et difficilius imprimitur; sed semel impressa eo diutius et praelentius vim suam exserunt.

§. V.

Praxeos natura euoluta, venimus ad Theoriam. Huius autem notio non minus ambigua et multiplex esse deprehenditur, quam quod de Praxi ostendimus. Sed uti Praxis potissimum conficiebatur agendo et operando; ita Theoria in uniuersum, saltem si vocis originem species, meditando et speculando absoluatur. Enim vero quia ad Praxin quoque quaedam refertur scientia et meditatione; hic paululum morandum esse videtur, vt, quae ad hanc et illam pertineat cognitio, videamus. Omnis nostra, uti dictum est, scientia incipit a singulis et concretis, id est a rebus, quae sensibus, vel internis, vel externis, sunt subiectae. Haec que tota rerum intra et extra nos positarum, cognitio, quatenus a sensibus pendet, Praxeos nomine venit. Sed his tam artis finibus non terminatur humana cognitio. Quia enim inde nec rerum, quod tamen

maxi-



maximum est, inspicitur natura; nec ob earum copiam immensam, omnes et singulae percipi et memoriae insigi possunt: Deus naturae mortali hanc vim imprestit, ut non modo singulorum naturam eruere, sed ex iis notiones quasdam vniuersales, vt vocant, formare sibi posset; quibus tanquam cognitionis compendijs, rerum singularium multitudinem cum faciliter teneret, tum felicius iis in vita vteretur. Quia enim in singulis istis quaedam comprehendimus, quae vel omnibus vel quibusdam sint communia; hanc rerum plurium communitatem vni includimus voci, enunciationi etc., vt inde formarum et generum notiones ensae cantur. Pergitur itaque a singulis ad formas, a formis ad genera, usque dum ad extreum cum rerum ipsarum, tum cognitionis humanae perueniat fastigium. Hae notiones, quae rerum explicant naturam, dicuntur etiam cognitionis principia et veritatis criteria. Hae autem rerum eruta natura, discimus non modo, quid queque res sit, et esse debeat; sed et quid fieri possit. Inde ex his principiis consicimus etiam leges et praecepta, quae doceant, qua ratione rebus conuenienter agatur, quibusque subsidiis obtineatur scopus, quem vel naturae auctor in rebus intendit, vel nosmet ipsi nobis praefigimus. Has leges, haecque praecepta, vocamus regulas, quas construimus, vt actionum nostrarum aequae, ac meditationis adsit norma. Clarum autem est, haec principia, hasque regulas longe alia oriri via, ac singulorum oriebatur cognitionis. Haec enim, quae singulis occupatur scientia pendet, vt diximus, a sensu; quae vero in vniuersum praecepit cognitionis, pendet a ratione et mente humana. Vt autem cognitionem eam, quam sentiendo et percipiendo habemus, ad Praxin et cognitionem vulgarem referimus: ita ea, quae speculando et meditando et nobismet ipsis quasi exlausta est scientia, vniuersim Theoreticae cognitionis nomine insignitur. In hoc etiam posita est Philosophiae vulgaris natura, quae in vniuersum formarum et generum notiones construit et docet. Hoc sensu Sulzerus praeclarum opus inscripsit: Theorie der Künste und Wissenschaften. Non enim refert singula, vt sensu sunt percepta; sed artium ingenuarum principia et regulas meditando conseratas. Cum autem Philosophiae vulgari et communi opponatur erudita; facile est intellectu, altiorum non dicam subtilitatis, sed tamē diligentiae in rebus superesse gradum. Etenim vt hoc vniuersum partibus constat, et partes a summo ad imum ita inter se cohaerent, vt rerum quaedam series haud interrupta inueniatur: sic formarum et generum notiones, e singularium diuersis classibus, erutas et formatas rerum ipsarum seriei conuenienter in ordinem

dinem cogimus, sibique inuicem subiungimus. Haec autem notiones in ordinem cogendi ratio, dicitur Methodus c) et notionum hac Methodo

ad illas causas quae est in rebus methodis in rebus ratione inducere.

Rerum, quem seruant, ordo, est sensa et cogitata locandi, et inter se iungendi ratio, vt ex partibus coniunctis, instar adsciri totum aliquid construatur. Eiusmodi ordo, qui in rebus seruantur, dicitur Methodus, vti doctrina, quae Methodum in rebus tractandis praefigit, Methodologia, seu Didactica. Iusta autem, et iniusta rerum collocandarum, iungendarumque ratio, vel e rerum ipsarum natura, vel e scopo, qui praefixus est auctori, pendenda et aestimanda est. Inde in rebus Methodus et ordo, quamvis ex parte sit certus et descriptus, non tamen ita est stabilis, et sempiternus, vt non in quibusdam liber et solitus sit. Alia rerum carum est ratio, quae solius ferre temporis et loci succelli non vero nexus, vt vocant, causaliter esse excipiunt. Hace enim rerum series ita est arbitraria, vt quedam pro libitu omitti et adiici possint; vti in singulis potissimum enarrandis fieri videamus: Exemplis sunt Geographia, Historia naturalis etc. Alia corum est indoles, quae vt causae et effectus inter se cohaerent, vti in Physicis observamus. Inde singularium minus, quam Vniuersalium compages artificiose Theoriae nomine venit. Non enim aequae vocamus Geographiae Theoriam; ac Physics habemus: et tamen, mundi etiam circumferuntur Systemata seu Theoriae. In iis autem, vbi Theoriae denominatio obtinet, Methodus comprehenditur duplex; altera quae a singulis et exemplis adseendit ad formarum et generum notiones, seu Vniuersalia; altera quae ab Vniuersalibus et principiis descendit ad singula. Illa, quae in dissoluendo magis adhibetur, dicitur Analytica; haec, quae in construendo potissimum eligitur, dicitur Synthetica: et quia Mathefeos cultores praecepit hanc amant, vocatur etiam Mathematica. Vraque haec Methodus usum habet; sed suo tempore et loco. Nec enim, vbi viae inservendum est alteri, semper aequae feliciter alteri inservit. Si enim rerum nota sunt Principia, et de singulis solum, sive exemplis queratur; Synthetica videtur melior. Si vero singula iam patent, et quaestio oritur de Principiis, potior est Analytica. Sic qui linguam, veluti patriam, iam haust ex usu, si rerum rationem et causas solum scire aueat, vti omnino potest Grammatica Synthetica, quae incipiat a regulis, quas, quia exemplia non nota sunt, facile intellexerit. Qui vero linguam, vti peregrinae plane est expers, et operam illi dare denum incipit; is utatur Grammatica Analytica, quae ab exemplis ad regulas et principia tendat. In vniuersum autem Methodus Analytica, si prima facienda sint scientiae initia, cum literarum inchoandarum naturae, tum ironum captui, videtur accommodator; partim quia singula et exempla faciliter capiuntur, quam praecepta; partim quia exemplorum similium copia feliciter ducit ad regulas, non dicam proprio Marte eliciendas, tamen intelligendas; quam regulae duxerint ad singenda et invenienda exempla. Hoc tamen non semper probe teneri, Grammaticae, Physics et aliarum disciplinarum docent compendia.

duce in ordinem digestarum series *narrat̄* ἐξοχῆ vocatur Theoria. Sic igitur Theoria differt a cognitione, quae in vniuersum dicitur Theoretica. In hac, vti diximus, positâ est Philosophiae; in illa vero fundata est Eruditionis natura *d).* Hoc sensu Sulzerus opus suum vocare non potuit Theoriam; quia non a rerum ipsarum ratione et nexus; sed tantum ex Alphabeti literarum successu vti Lexicographi solent, erexitus est ordinem. Magnum saltem inter arrium Theoriam, et Lexicon, quod mere artium particulas secundum literarum ordinem explicat, deprehendit discri-
men. Lexicon enim continet quidem, e quibus constructa est Theoria: sed inordinata materies, ex qua domus aedificatur, non est aedificium ipsum, quod sola fere artificiose et consilio facta structura a rudi et indi-
gesta materie differt. Displicet igitur, quod nostri iam Gallorum more Lexica et Vocabularia vndique Theoriae nomine insigniant, et vocum significationes perturbent. Est autem proprie vna tantum Theoria, quae nempe totam rerum seriem a summo ad insimum gradum aut v. v. complectatur. Sic etiam vna est eruditio, vna scientia docta; vti vna est rerum natura; vniuersum vnum. Quia tamen haec rerum series, a capite

d) Ex his, quae hactenus proslata sunt, videmus, cum scientiae concretae, tum abstractae, diuersos esse gradus. Singulorum cognitio vulgarem; formarum et generum notiones philosophicam; et harum rerum methodica per tractario doctam conscientiam. Ex his aestimamus etiam scientiae pretium et momenta. Quo magis enim cognitio in singulis versatur; eo magis vulgaris censetur. Sic Scientia Historica, Geographica etc. a quibusdam ne Philosophica quidem; nedum vt ea docta habeatur. Cognitio autem, quo sit abstractior, vt vocant, id est, quo magis sepe singulari quasi subducit, quoque alienus ad formarum et generum notiones ascendit; eo magis scientia Philosophica habetur; vti Metaphysica et Ontologia praecipus exemplo est. Quo magis tandem accurata et methodica institutur rerum tractatio; eo magis doctae scientiae induxit videtur naturam. et v. v. Vt saltem hoc firmatum est, nullam scientiam haberi pro docta, nisi Methodicam et Theoreticam. Inde enim vir, si e. c. vel optimam Physicas, Astronomiae, Geographiae et Lin-
guarum habuerit cognitionem, nisi principiis et regulis firmatus sit, inter eruditos non recipitur. Hinc eximia, quatenus vnu et Praxi formata est cognitio, artificem non magis eruditis associat; quam eruditus propter rerum scientiam Theoreticam, adiungitur artificibus. Censetur ille tantum doctus, qui rerum scientia gaudet Theoretica, adeo, vt, si vel in rebus ver-
setur ieiuniis, dummodo methodica sit cognitio, eruditus nomen non magis aeposuisse putetur; ac artifex, quamvis rebus occupatus sit inutilibus, arti-
ficiis nomen non exuerit.

capite ad calcem perducta, ita infinite procedit, ut uno tenore prosequi
eam non valeas; hinc totum eruditio*n*is imperium, ut in via tam longa,
lata et ardua requiescendi detur locus, in minores distributum est regio-
nes, prouincias, ditio*n*es etc., quas circumscribimus et definimus, partim
e rerum ipsarum diuersa natura; partim e nostro, quem intendimus,
scopo. Inde ex una illa scientia et Theoria profectae sunt plures. Sic, enira
peculiarem habemus Physices, Chemiae, rerum aliarum scientiam et The-
oriā. Hoc sensu Scientia et Theoria est artificio*a* quaedam tractatio,
quae aliquam cognitionis humanae particulam e principio ad culmen
ordine et nexus perducit. Iam igitur Eruditio est complexus multarum
Scientiarum, seu potius disciplinarum, quarum Methodo exstructa com-
pages dicitur Encyclopaedia *c*), et ex parte etiam Polymathia *f*).
B 2 De

- c*) Encyclopaedia, quam veteres vocabant Εγκυπεδία μιθθύματα, Εγκυπεδίας μνησίας,
sensu latiori est quasi Theoria Disciplinarum, seu corpus, quod
totius eruditio*n*is partes, ordine et nexus pertractatas, complectitur. Sumi-
tur etiam sensu strictiori pro partium earum serie, quas maior eruditio*n*is
prouincia circumscrimit. Ille vulgarior est significatus; hic obtinet tum,
cum Encyclopaediam Theologican, Philosophican vocamus. Quia autem
Encyclopaedia tractationem postulat Methodicam; apparet, Lexicon non
magis dici posse Encyclopaediam, quam appelletur Theoria. Deinde En-
cyclopaediarum, vt magno*s* est vius, quem praechant; ita grauiſſima sunt,
quae Literis inferunt, mala. Peccant omnino, qui, vt omnia suis, ita et
cognitionem quasi nuci includant, et sola duce Encyclopaedia, cum ipsi fa-
pere; tum alios sapientes fecisse sibi videantur. Sic enim cognitioni ni-
mis arte compressa et contorta paululum examinatur, ut nec libere, nec
alte ducendi spiritum detur potest. Non igitur es Encyclopaediae est
vius, vt inde definiatur et coarctetur scientia; sed ut totum Eruditio*n*is
imperium, cum majoribus et minoribus prouinciis, vno quasi complectari
obturu. Hoc sane omnibus literarum cultoribus non potest non esse vtj-
liſſimum et iucundissimum. Sed huiusmodi Encyclopaediam, quae omnium
doctrinae partium naturam, nexus et orbem eruerit et definierit, nondum
fere habemus. Id quod ob rerum paucitatem et tenuitatem olim quidem
erat facillimum; sed iam, pro immensi carum copia et cognitionis, quas
iam in omnes partes aperimus et ingredimur vias, perpetuas et transver-
fas, virum omnino patientiorem, subtilem et eruditio*n*is maxime dilatatae
exspectat.
- f*) Polymathia interdum fere est id, quod Encyclopaedia, virque ob Polyma-
thiam insignis vocatur Polyhistor. Hoc autem nomen facilius et verius
olim, quam hodie obtinetur. Saltem non magni iam aestimantur Polyhi-
stori. Rerum enim multitudine; mentis humanae fines artissime circum-
scripti;

De eruditione autem, quia proprie principiis et regulis absolvitur, quae vel meditationi, vel actioni inferuant, hoc tantum addam; totam doctrinam, vti omnem eruditam scientiam habere partem Theoreticam, quae ad speculandum; et Practicam, quae ad agendum viam ostendit. Inde mireris, cur Scholastici olim de quibusdam disciplinis tantopere disceperant, utrum inter Practicas; an inter Theoreticas sint habenda: curque nostro quoque tempore tam anxie interdum distinguamus inter scientiae partes; vt hanc ad solam Theoriam; illam ad meram Praxin omnino proscribamus.

§. VI.

Iam etiam patebit, quis appellari possit Theoreticus, quidque sub vocibus Theoretice et Theoreticum intelligatur. In viuferum autem Theoreticus vocatur ille, qui speculando magis, quam operando transigit vitam: Sic vir museolo inclusus, qui solis meditationibus et sibi liberioribus, super rerum natura, disquisitionibus, inhaeret, dicitur Theoreticus. Speciatim autem hoc nomine afficitur, qui rerum tenetur scientia, arte et methodo formata. Quid vero voces Theoretice et Theoreticum significant, ex dictis facile repeti poterit. Hoc autem iam debet annotari, rem eandem aliis, aliquique voculis interdum exprimi. Vt enim Theoria etiam vocatur Systema, Cursus, Disciplina et Methodus; Theorie vero breuior delineatio Typi quoque, Compendii, Tabulae, (Entwurf, Umriss, Anlage, Abriss) nomine venit: ita Theoreticum in diuersis doctrinac prouinciis varie exprimitur. Ob rerum enim, que coniunctae sunt, seriem, Theoreticum vocatur etiam Systematicum: Inde, scientiam dixeris Theoreticam, an systematicam, idem fere fuerit. Vocatur ob viam praefixam, Methodicum: Inde ars medendi Theoretica dicitur etiam Methodica. Porro ob artem, qua opus est Theoriis, Theoreticum dicitur Artificiosum. Hinc Logica Artificiosa opponitur communis. Vocatur etiam, minus tamen apte, Rationale g). Vocatur Disciplinare,

Scien-

teripti; vitaque breuitas obstant, quo minus hoc nomine re vera dignus evadas. Melius et utilius et, pauca tractando profuisse fitis, quam omnia arrondendo egisse nihil. Ceterum negari non potest, eruditum in nulla eruditionis parte peregrinum et plane ignoratum esse debere.

¶ Vox Rationale, quae interdum adiicitur, paululum dubia est. Modo enim significat id, quod Theoreticum; sic ars medendi Rationalis opponitur Empirica: modo id intendit, quod Practicum; Sic Logica Rationalis opponitur Artificiosae.

Scientificum, Mathematicum, Doctum et Eruditum; quia Disciplinarum, vti totius eruditionis, ratio in Theoriae natura fundata est. Hoc sensu docta et Scientifica rerum cognitio opponitur vulgari. Vocatur Dogmaticum, quia Theoriae studium doctis potissimum deber est commendatum. Inde Physica Dogmatica, opponitur Experimentali. Vocatur in Astronomia Theoricum, sive pars illius enascitur Theorica et Sphaerica. A praeis doceandi ratio Theoretica vocata est Arcana, Esoterica, Acroamatica etc. Inde Pythagorae auditores Theoretici cum Esotericis erant iudicem. Tandem, si Theoriae partes exhibeantur primariae; Theoreticum vocatur etiam Positivum, Theticum, Tabellare, Aphoristicum etc.

§. VII.

Vt autem Theoriae studium utilissimum est, et inter summa humani generis pertinet beneficia; ita tamen nocet etiam, et maximis difficultatibus laborat. Theoriarum ope rerum naturam et vires perquirimus, vt inde credulitati, somniis et garrulitati optime occurritur: Theoria duce erimus meditandi principia, agendique regulas, quarum auxilio infinitam rerum copiam, paucissimis cum tenemus, tum ad usum nostrum conuertimus. Ob haec, ex Theoriis formata cognitionis quasi compendia, erudit plurim, quam ceteri, sunt capaces, adeo, vt omnisci multi videantur. Nemo enim quoad Praxin simul erit opifex, mercator, artifex, miles etc., quoad Theorianum autem omnium artium quasi compaginem tenemus. Multo enim sunt plura, quae non possumus, quam quae nescimus: multoque pauciora, quo sequitur actio; quam quo pergit meditatio. E Theoriis iudicandi et agendi habetur norma brevissima, vt adeo nulla scientia perfecta possit ceneri, nisi simul ad Theoriae libram sit exacta. Ante omnia rerum frustra leges et principia, si rite velitis iudicare et operari! Cum enim defuerit norma, quid est, ex quo merimini et aestimeris actiones et sententias? Ob sola fere principia neglecta, tantae iam frustra in rebus aguntur, et olim actae sunt controversiae. Exempli sunt ars Paedagogica, Orthographia etc. Studium quoque Theorie suos amatores ordinis, id est meditationi adiuvante. Vt autem ordo in omni re optimum et praeclarissimum est; ita potissimum dicitur mater studiorum. Hic ordo in rebus, nostro in primis tempore, quo Eruditionis et Artium imperium in dies augetur, atque quotidianis incrementis et accessionibus in latitudinem insolitam excrevit, diligenterissime deber servari. Hoc enim neglegto, et rebus, quae obnientur, temere conglutinatis, et sine nexu compatiens; vel scientiam laurinus vanam et inanem;

vel similem moli indigestae et rudi. Theoria vero mentem non modo ordinat, sed et, quia rerum seriem saepe infinitam oculis a summo ad imum et v. v. conspiciendam exhibet, animi ex parte dilatat et extendit fines. Constituit etiam et tuetur scientiae partium ipsarum ambagem et terminos, tum res, natura magistra, in suas classes et areolas distributas circumscribit, quo sane nihil est praecarius et utilius. Iusta enim rerum facta distributione seitur, si necessarium fuerit, unde petendum sit consilium; ne earum serie immutata dubii et ambiguui in campis vastis et deserts vagemur. Inde non placent, qui in literis temere vel iungendo, vel separando, rerum peruerunt ordinem et ima summis miscent; quique docendo et scribendo, suam negligentes, immittunt falcam in messem alienam. Exemplo sunt Physici, et Mathematici, qui a via sua interdum parumper aberrant. Illi enim, dum rerum cauas sint euoluenda, tempus haud raro terunt earum quantitate emetienda; hi vero, cum rerum quantitas fuerit definienda, causis eruendis inhaerent. Sic etiam quidam Historici et Philosophi paululum labi videntur, qui, quum enarranda sit rerum series, philofphantur; et quum sit philosophandum, narrare incipiunt. Has tamen maculas, literis olim inustas, splendidi illi, harum disciplinarum Praefides; Kaestnerus, Eulerus, Funckius, utque Suckouius, Eberhardius, Federus, Platnerus, Dariesius, Gattererus, Schroeckhius, Meuselius etc. vti dignum ipsis erat, ianu diu vitarunt; vt alii proderent exemplum.

§. VIII.

Neque tamen Theoria iusto altius est tollenda; nec temere celebra. Sunt omnino, qui sibi nimium de illius praestantia et vsu pollicentur et gratulentur. Non putandum est, principiis et regulis absolu et perfici artes, aut artifices. Artes fuere ante scientiam; vt concreta atque singula ante praecepta et leges. Pinxerunt, scriperunt, philosophari sunt prius, quam Aesthetices, Grammatices et Logices haberent compages eruditas. Rerum eruta principia nec nobis largiuntur vires, quae desunt: nec quas habemus, ita firmant et augent, vt inde creare et aquam, vt Plautus dicit, e pumice postulare discamus. Satis est artes principiis et regulis esse excultas et auctas; sufficit artifices earum operi iustos rerum, quae sunt, censores et arbitros. Regulae in rebus humanis praestant tantum; quaneum sana praestare dicitur ratio: sequi igitur principia et regulas; est sequi rationem et prudentum consilia. Hic fere omnis praceptorum in rebus est vsus. Inde decipitur, qui spem in iis ponit maiorem. Accedit etiam, quod Theorie sint quedam in-

commo-

commoda, quae illius usum parumper imminuant et extenuent. Primum enim Theorie studium, ob rerum, quae in illo deprehenduntur, subtilitatem et cohaerentiam non omnibus est accommodatum; multis adeo acerbum et molestum. Deinde praeceptorum in vitam translatio est etiam difficultis, adeo, ut iusta regularum applicatio difficultior interdum sit, quam ipsa earum exstructio. Praeterea Theoria etiam in speculando facile excedit modum. Est enim quaedam meditandi ratio, quae in rerum naturam temere quasi irruat, resque ultra, quam necessarium et utile est, dissecet et dissegas acuendo et tornando attenuet, ita, ut in puluerem, vapores et fumum dissolutae, ne percipere quidem et cogitando assequi possimus. Meditationi fines sunt positi, quos si transgressi fuerimus, cogitata usum non habent. Est quaedam a summo et imo insuperabilis altitudo, quam si exsuperare conemur, aut plane nihil, aut mera supererit umbra. Sic est Scholasticorum Quidditas et Albertudo. Iam enim albedo satis exercet ingenium; nedum ut Albetudine excruciarri nos patiamur. Vt igitur ad singula non nimis est descendendum, ne erudit naturam exuas: ita in generum notionibus non altius iusto est ascendendum, ne auram pro lunone arripias. Hinc enim accidit, ut doctorum quorundam sententiae et consilia, quas contemnit vocant, Grübeleyen, Hirngespinst, Grillenfängereyen, Theoriam olere dicantur. Quae vero meditatio temeraria et imprudens, cum sic a veritatis tramite subinde aberret; hinc Theoria haud immerito fallax et fraudulenta etiam multis videretur. Si enim in rerum eruendis principiis peccauerimus; peccabimus etiam in regulis inde formandis: Si vero in regulis componendis fuerit peccatum; peccabitur etiam in sequendis. Ex his somnia illa, quae appellamus; Chimeren, politische Kannengiesereyen, Projectiereyen, vania habentur et inania. Tandem Theorie studium hoc etiam secum fert periculi, ut suos ita quasi irretiat et inuoluat, quo minus se se ex laqueis eius expedire et extrahere possint. Hinc prodeunt illi, qui ad leges et regulas, sibi semel formatas, tanquam ad faxa, adhaerescunt, easque acriter et mordicus defendant, ita, ut animo obstinato et pertinaci, omnia ea oppugnet, quae noua et normae suae videantur contraria. Haec dicta sint in viuierum de Praxeos et Theorie in arte et scientia significatu atque natura. Restant autem nonnulla, quae hic plane negligi non debent: Primum enim, cum supra dixerimus, Praxis absolui potissimum agendo, Theoriam vero meditando; notandum iam est, non sine causa dictum esse: *potissimum*. Proprie enim agimus etiam,

❧

etiam, dum meditamur; ut plus minusue meditamur, dum agimus, ut inde Praxis Theorae, et Theoria Praxeos naturam saepenumero induere videatur. Sed summa est differentia inter actionem et meditationem; quas in hac et illa deprehendimus. Agimus in Praxi, meditamur in Theoriis, data opera; quae vero in illa occurrit meditationis et in hac actio, forte magis et calu fieri censetur. Deinde hoc etiam tenendum est, quemuis ob suam ipsius solum experientiam Practicis annumerari; ut nemo proprius habetur Theoreticus, nisi suanet ipsa meditatione sit formatus. Est autem praeter scientiam, quam ipsi, vel sentiendo, vel meditando, haurimus; etiam aliud cognitionis genus; quod ex aliorum aut institutione et verbis; aut lectione et scriptis discendo tenetur: Id, quod bene obserues, ne hoc discrimine neglecto, cognitionis naturam et premium male aestimes. Huius enim cognitionis, ab aliis quasi mutuatae, longa alia est ratio; ac illius, quam ipso proprio Marte nobis acquisiuitus. Aliorum sensis et cogitationis descendit, et memorias insigndit, nec proprius formatus Practicus; nec Philosophus et Eruditus. Quamuis enim ob rerum, quae sensibus et iudicio veniunt, multitudinem; ob vitae brevitatem; virium etiam inopiam; raramque obseruandi occasionem; necessarium sit; ut et seculum praecedens cum sequenti, et cuiuslibet ipsius aetatis homines cognitionis thesauros, quos sibi experiendo et meditando collegerunt, secum communicent; tamen haec cognitio in iis, quibus traditur, prorsus est singularis, ut proprie, quatenus ad hos ipsos resperxeris, nec Practica, nec Theoretica appellari possit. Hinc ea peculiari, i. e. cognitionis historicae nomine insinuitur. Sic habemus Historiae, Philosophiae et ceteris Eruditionis scientiam historiam aequem, ac philosophicam et eruditam. Haec tamen tota cognitio historica, quia in abstracto magis, ut dicunt, quam in concreto acquiritur, Theoriae nihil minus solet adiungi. Sic orbis et terrae notitia, si ex aliorum vel relatione, vel scriptis sit haupta, dicitur theoretica, opponiturque practicae, quae venit ex suo cuiuslibet usu: Quod etiam ob miram, quam Practicis praestat utilitatem, concedi potest; si modo ipsa succurrat meditatio.

§. IX.

Iam quoque dici poterit de Praxeos et Theorae inter se ratione et nexus. Est autem inter has eadem fere ratio, idemque nexus, ac inter artem et scientiam. Ut enim scientia arte; et ars scientia firmatur et augetur: ita Theoria nutritur Praxi; et Praxis alitur et sustentatur Theoria; adeo, ut in vniuersum vix possit definiri, illa ex hac, haecne

ex

ex illa maiora ducat incrementa. Praxis vero Theorie fert opem, cum formandae, tum applicandae. Theoria non est naturae donum, quod simul nobiscum gignatur; estque potius rationis artificium. Ratio autem non creat, sed componit: adsint igitur necesse est, ex quibus defumatur, ut opus perficiatur. Hanc operis materiem largitur Praxis, seu vita communis et usus. Praxis igitur est quasi cella penuaria, unde obseruando, experiendoque scientiae habentur elementa. Quae enim rerum fortuitarum sit natura et ratio, coniectando non assequeris; nec reperies diuinando, quae forte siant, aut fieri debeant. Quis hominis et animalium indolem! quis gentium vitae genus! quis astrorum stellarumque numerum, magnitudinem, situm et cursum definit, nisi antea obseruauerit? quis phaenomenorum caelestium, pluviae, grandinis, fulgurisque naturam? quis corporum terrestrium, sulphuris, electri et magnetae vires explicabit, nisi diu multumque ad haec omnia attenderit? quis rerum inter homines gestarum, bellorum et stragum? quis virorum doctrina et arte clarorum veram pinget imaginem, nisi eam duce experientia cepere? Stultum est, eruere velle philosophando, quae nisi sensibus et usui veniunt. Nec enim mens ex se euoluet, quae auris extrinsecus adserit; nec in se sentiat animus externa, quae oculi auxilio accedunt. In his opus est Praxi: eaque neglecta, Theorie vel hiscunt ieiunae, vel fabulofae delirant. In hoc haud dubie latet plurimarum disciplinarum inanis et sterili tractatio, quae carent fundamento et usui. Cum enim earum auctores vel oculo somnient occluso; vel pede circumferrent fugaci; a recta veritatis tramite sinistrosum dextrosumque, quae sunt ignorant; fingunt, quae non sunt. Sic ex nihilo struunt molem, mox in pristinum nihil reddituram. Hoc in primis vitium fuit Scholasticorum. Quamuis enim eorum nequaquam, ut fieri interdum videtur, plane spreuere labores; qui eos potius ob usum, quem in acuendo et exercendo ingenio humano habent, omnibus commendatos esse voluerim: negari ramen non potest, eos Praxi nimis neglecta, rerum accuratam, vitaque accommodatam cognitionem nec habuisse, nec, si habuerint, usui quotidiano satis accommodasse. Enim vero nostra quoque aetas Scholasticis habet similes, et si non virtute, tamen vitiis. Quamuis enim iam omnino diligentius quam olim cum ex vita, tum vitae scribatur; Theoriarum tamen hodie quoque inueniuntur auctores, qui omni Praxi desituti scribant et doceant. Hoc ostendunt quorundam scripta Psychologica, Physica etc., quae vel rebus inanibus et fabulis tumida, anhelant: vel sine sanguine et nervis siccata, tacebunt.

descunt. Etiamnum sunt, qui Praxeos expertes vitae paecepta proponant. Omitto Iuris Naturae, Politices, Ethices Scriptores, de quibus fere iudicare dubito. Eos autem potissimum adducere possem, qui, homini a summo et imo formando immorientes, paece ceteris vitae iam scripsisse volunt videri; Eorum quosdam puto, qui nostra aerae ob artem Scholasticam et Paedagogicam tantos afferunt motus. Sane habemus WEISSIVM, MILLERVVM, FEDERVVM, SELFRVM, CAMPIVM, SATTLERVM etc.; viros, omni laude majores; qui ex Praxi didicerunt, quid valeant humeri, quid ferre recusent. Sed sunt etiam alii qui horum omnium ignari, paecepta et consilia sua non minus aggerant. Patribus iam inculcant educationis instituendas leges, qui vix desierunt esse imberbes, nedium ut, sede inter patres fixa, parentum didicerint officia. Inde pueros docent, quibus vix lenes apti sunt ferendis; placentque sibi, viros in pueras, et puellas transmutasse in viros. Accedunt quoque eorum quidam, qui, cum facta ad docendum veris videantur meliora, ad fabulas et historias excoigitandas incumbunt et modum inter plus et minus ita non tenent, vt modo brutis, modo diu ipfis eos scripsisse putet. Hoc vero faciunt quia Praxeos expertes quid exspectari a mortali natura possit aut debeant, ignorant. Legibus rite confruendis, opus est experientia et vsu. Quid monachus, coenobio inclusus, qui praeter cuculum suum vix vidit auem, de re disferat agraria? Quid, qui nec maris seit colorem, nec sclopi figuram, dicat de gubernanda naui, proelioque ineundo? Quid, qui ollam non habet, proferat de re familiari, caute instituenda? aut cui obolus jentaculo deest, de pecuniis tute locandis? Quam doceat in rebus diuinis sapientiam; in humanis, siue publicis, siue priuatis prudentiam. qui terrae caelique exul nec hanc, nec illam, ipse gestauit? Scribas e vita, qui vitae scribis.

§. X.

Praxis inseruit etiam Theoriae paeceptis, cum percipiendis et memoriae insigendis; tum exercendis et in vitam transferendis. Cum enim Theoria de rebus sensibus subjectis paecipiat in abstracto; quaedam autem remotis sensibus vel vix bene possint depingi; cetera omitendo, addendoque ita deformantur, vt a rerum natura saepe non parum receendant: hinc Theoriae paecepta difficile cum capiuntur; tum in vitam transferuntur. Deinde quia Thoriae methodus pressior et compacter est; mens etiam rerum multitudine facile succumbit. Theoria duce puer aliquot mensibus dicit quidem, quae inter totum genus huma-

num

num per millia annorum gesta et inuenta esse constat: sed caueat, ne subito amittat, quae subito cepit. Quantum enim Theoria vincit Praxin rerum copia et abundantia; tantum earum vincitur interdum firmitate et constantia. Has autem omnes, quas Theoria secum fert difficultates, nisi remoueat; tamen minuit Praxis. Haec enim primum porrigit exempla, quorum ope praecepta illustrata et explicata, magis redundunt perspicua, eoque captu difficultiora. Inde Praxis Theoriae, quae in se sicca et mortua est, vitam et carnem quasi praebet, eamque nutrit; vt enutra et quasi pinguefacta magis placeat, placendo autem excitetur et alatur attentio; quam impediunt praeceptorum ratio exfanguis et macroscens. Eadem de causa Praxis multum etiam contribuit Theoriis memoriae mandandis et stabiliendis. Quae enim attente et cum voluptate percipiuntur, penitus sese ingerunt menti, diutiusque haerent. Aliud quoque e Praxi cum Theoriis coniuncta, gignitur bonum, et quidem hoc, vt exempla allata et inserta, tironem quasi ad ipsos fontes perducant, quo, si quae exaruerint in mente, denuo proprie Marte possint hautiri. Sic Geographiae, Historiae ciuilis, sacrae, litterariae; sic naturae et artium cognitio atque studium optime sustentatur et adiuuatur vnu et experientia. Scimus enim, quantopere haec omnia solis itineribus augeri et stabiliiri soleant. Tandem Praxis cognitionem Theoreticam mirifice adiuuat in applicando. Exemplis enim adductis ipsa ante oculos constituantur obiecta, vnde fluxerunt praecepta; vt eo faciliter videamus, quo tendant. Contra sine exemplis caecae sunt Theoriae leges, carentque quasi oculis. Duce Praxi illud etiam evitatur malum, quo, curiosi rerum sola capti et delestat cognitione, sumus incurii, cognitio utilis sit, nec ne: Quod, quo inter homines est visitatius, eo scientiae est pernicioſius. Cum enim Theoria, e Praxi illustrata, suos iterum, iterumque ad ipsam vitam ableget; rerum magis dicitur vnu et pretium, vt fugiantur, e quibus mortales fructum non percipiunt. Haec etiam est causa, cur disciplinae iam tanta cernerent incrementa; quia saltem in iis excolendis, ad vitam nunc magis respicunt, quam fecerunt maiores, qui hoc neglesto, argutiis interdum et rugis laborabant. Inde Praxis a Theoria, nec in discendo et docendo, nec in exercendo et applicando, plane debet abesse. Inde Physices, Grammatices praecepta vana erunt et inania; nisi addideris exempla. Haec autem utriusque coniunctio eo magis est necessaria, quo grauiora sunt, quibus occupamur, obiecta. Inde nemo, si vel totus sit in Theoriis, rerum sacrarum, aut ciuilium admittitur praesul; nisi praecepta firmauerit vnu et experientia diuturna.

§. XI.

Sed ut Praxis adiuuat Theoriam; ita Theoria vicissim sustentat et auget Praxin, idque cum in agendo et operando; tum etiam in obseruando et experiendo. Quia tamen in actione humana duplicitis generis concurrent vires, id est corporis et animi; inter has omnino distinguendum est, vt, quid his et illis Theorie praeepta praestent, apparet. Vires autem corporis a Theoria nec augeri, nec perfici certum est. In se enim nulla meditatio, in qua posita est Theorie natura, corporis membrum aut redditura est agilis, aut validius et firmius. Nemo, si agendi species facilitatem et habitum, vel ex optimis Theorie legibus, cum pictor excellens; tum praeclarus euadet sculptor. Nec ex solis praeeptis ars discitur apte saltandi, aut digladiandi cum successu; nec vla in arte ex rationis principiis corporis acquiritur dexteritas. Haec Praxi ipsa et exercitio obtinentur; vt inde his in rebus sola sere ipsa Praxis optime Praxin adiuuat. Nihilo tamen minus Theoria his quoque, alia saltem ex parte, vim suam ostendit. Cum enim corporis in exercendo eo maior acquiretur habitus, quo prudentius exercitium ipsum fuerit institutum; praeepta, quae illam docent prudentiam, mirum quantum, exercitio feliciter inundo et peragendo, inferuant. Quod vero ad animi vires attinet, has theoria in se, non interueniente alio, adiuuat, auget et firmat. Cum enim vis animi sit potissimum cogitandi facultas; haec cogitando ipso egregie exercebitur et perficietur. Inde tirones, Logices, ut totius Philosophiae auxilio, discere dicuntur cogitare. Quodsi tobre explicetur, nec video, quid contradic posse. Aut enim principia et regulae meditationi et actioni plane non profund; sicque Logicae cum aliis disciplinis par erit fortuna: Aut si quid leges in vniuersum profuerint, Logices quoque praeeptis, ex aliorum, meditandi vel virtutibus, formati, hoc non abjudicemus. Sane logica non eo sensu docet cogitare, quasi cogitandi infundat vires, et ex quolibet truncu faciat Philosophum: hanc enim in nulla arte praeepta vim exserunt. Saltem tamen eo significatu cogitare docet; quo infantulos docere dicimus currere, loqui. — Nam docta cogitandi ratio aequa est ars praeeptis et viu formata; ac currendi ac loquendi habitus. Si autem Logices ope plane non acquiritur subtilis de rebus meditationis; nec haurietur, duce doctrina morali, pia, prudens et justa actio. Sed Theorie praeepta non modo profund in vniuersum, quod mentem exerceant et meditationi affuefiant; profund etiam eo potissimum, quod rerum ideas largiantur iam euolutas, id est, claras et perspicuas. In omni igitur

tur re, vbi opus est iudicio subtili et exacto, cum rerum ideis explicatis, miram Theoria praestabit opem. Hoc autem vbiique, non dicam omnino necessarium; tamen eximium et praeclarum esse videtur. Sunt quidem inter actiones humanas, quae, ob rerum simplicem et tenuem naturam, hoc non plane desiderare videantur; sed nec nocebit, si adfuerit. Scio opifices, aliosque vitae vulgaris homines, quia, quae necessaria sunt, duce ipsa Praxi discere se posse arbitrantur, plerumque nec generatim multum exerceri Theoriae praeceptis; nec sigillatum rerum fuarum magni aestimare ideas euolutas et claras: scio, hoc adeo multis artificum esse confutet, vt, si cum operandi habitu nauci sint leuorem aliquam rerum peritiam, et propter hanc nominis etiam famam, communis sensu contenti, doctam spernant cognitionem, quae hausta est praeceptis. Hi tamen negligant et spernant quoque Theoriae leges, si iis commode supersedere posse sibi videantur. Nos quidem ignaris fallimur hoc condonamus; quia nec incolis caeli, nec terrae habitatoribus mortisera inde afferentur detrimenta. Sapient casu et periculis, qui consilio et ratione sapere nolunt. Calceum et picturam adeo, corrumpi non tanta est iactura, vt concoqui aut resarciri etiam non possit. Theoriae vero praecepta Praxi plane deesse non possunt, dum in rebus versamur huius aut futuri aeu i grauioribus i. e., in vita, fama, et aliis humani generis bonis insignioribus tuendis et conseruandis. In his debet esse agendi ratio, et Theoriae principiis et regulis instituta, quae dicitur Praxis docta et erudita. Hinc nemini, nisi eruditio, haec bona creduntur, vt inde nullus, vel ad religionem publice docendam; vel ad causas agendas et tuendam sanitatem admittatur, nisi antea rerum fuarum ceperit Theoriam; et doctrinae suae specimen publicum ediderit. Etiam inter hos quidem inueniuntur, qui neglegunt praeceptis, sola sapient Praxi: sed eo grauiora et tristiora sunt damna, ab his mortalium generi illata. Inde enim proficiuntur, qui, quos viam veritatis erant docturi, erroribus et vitis imbuunt; inde, qui clientum causas, quas melius instructi obtinuerint, temere perdunt: quique occidunt, quorum vitam tueri promiserant. His in rebus sera et tristis est, quae ex Praxi acquiritur cognitio, quia iterum, iterumque sapient nouis et suis; cum sapere potuissent praeteritis et alienis periculis.

§. XIII.

Iam vero Theoria Praxin etiam sustentat in obseruando, experien-
do, examinando, iudicando, reddendaque ratione. Theoria enim, quia
C 3 breuissime



breuissime docet, quae ab aliis iam obseruata, comperta et cogitata sunt,
 suos in Praxi efficit attentos et perspicaces, vt obseruent potissimum ea,
 quae obseruatione sunt digna; vtque statim intelligent, vbi rerum ver-
 setur cardo. Sic Iuris peritus et Medicus, rerum copia e Theoriis in-
 structus, litis, morbique caput facile percipit, dum alii coniectando et au-
 gurando errant et nocent: Sic principis Aesthetices imburia, quae pul-
 chra sunt in scriptore, illico tenebant, quum, qui illotis accedunt mani-
 bus, auram pro lunore capiunt. In obseruando igitur magnopere pro-
 fundit Theoriae praecepta et leges. Quare saepe admiratus sum eos, qui
 obseruandi et experiendi studio, magnis quidem sumtibus itinera fasci-
 piunt longinquia et diurna; nihil tamen minus sine ullis interdum
 praeceptis euagantur in orbem. Hi enim quid obseruent; qui cerebro
 vacuo euolant omnium ignari! Adeunt aedificia publica, ibique natu-
 rae et artis thesauros, numorum, picturarum, signorum, statuarum
 copiam, verbo, aeu antiqui et recentioris monumenta amplissima incipi ad-
 stupent. Frequentant opificum, artificum et doctorum officinas; acce-
 dent ad fabricas, armamentaria, tabernas librarias et bibliothecas, vt ri-
 diculi fiant. Memoratu dignissima vel plane praeteruolant, vel saltem
 ideas eorum hauriunt confusas. Iam intempestive tacendo produnt in-
 scitiam; iam inepte sciscitando se ludibrio exponunt. Tandem redeunt
 absurdii, qui ignari abibant: Utque reduces itineris commoda euulgent,
 friuola et puerilia tanquam mysteria in trinio et circulis iam decantant.
 Quem igitur fructum peregrinationis fecere; nisi perdidisse tempus et
 nummos paternos, eo, vt ex ignariorum fierent stulti! Alii, his paululum me-
 liores, ad summum magno apud exterros sibi conciliant sumtu quae in pa-
 tria parvo pretio melius et accuratius forsan potuissent obtinere. Stu-
 deas igitur praeceptis ante, quam itineri te committas, vt ea tantum
 apud exterros discas, quae in museo haberi nequeunt. Aequo commen-
 datam sibi esse putent cognitionem Theoreticam illi, quibus et alia ratio-
 ne obseruandi data est occasio. Sic enim non modo ipsi maioris vol-
 uptatis futuri sint capaces, sed et profuerint aliis, cum quibus obseruata
 communicent. Hinc ego quidem optauerim, vt, cum fieri possit, agricul-
 tores metallici, nautae, iuntrices, ergastulorum in primis, carcerumque
 praefecti, et si non docti et eruditii, praeceptorum tamen non plane sint
 ignari. Cum autem eruditis rario obseruandi detur occasio, qua ceteri
 vti prudenter nesciunt; multa nobis in Physicis et Moralibus manent
 occulta, quae vna interdum obseruatio possit explicare. Quae vero di-
 xi de Theoriae vsu in obseruando, valent etiam in experiendo. Felix
 est

est Physics et Chemiae cultor, qui pericula faciendo, solidis imbutus est praeceptis: tectos enim retegit naturae thesauros, vbi cetera turba in cassum laborat. Itidem Theoria summum habet usum in examinando, iudicando, et ratione reddenda; quia in rebus idearum largitur claritatem. Haec etiam est causa, cur mediocriter in Theoria versatus, iudicando et aestimando, optimum quemque artificem in suis metis operibus haud raro vincat et angat.

§. XIV.

Nunc tandem quedam etiam dicenda sunt de iusto et iniusto Theoriae et Praeceos in rebus visu. Cum autem in hoc temporis, loci, rerum ipsorum etc, semper habenda sit ratio; de singulis habeo sic: Primum quia Praxis optime adiuuat Praxim ipsum; formetur ille potissimum e Praxi et vita; qui in Praxi, felix et vitae aptus vult haberi. Hanc adens, qui corporis robur et agendi desideres facilitatem; hanc, qui iudicii in rebus inopinatis dexteritatem, et vitae sedleris sapientiam: Verbo, e Praxi discas, quae sensa magis, quam descripta discuntur; quaeque felici potius quodam insinuet; quam consiliis praemeditat peragi scimus. Tutor perficiatur calceos confiendio; pictor et sculptor pingendo atque sculpendo. Subigit equos, digladietor, qui harum rerum vult fieri peritus. In Musica et arte saltandi, quatenus in corporis habitu sunt fundatae, excellat ille, qui maxime exercuit digitos et pedes. Sic adeo est in ipsis linguis et literarum studiis. Scripturus linguam, discat scribendo; lectorus, legendo; et locuturus loquendo. Nec enim loquendo scire legendi; nec legendo apte loquendi hauritur facultas. Orator perorando discat; et doctror perficiatur docendo. Hauriat morum praeceptor ex suorum moribus ipsis: hauriat sacerorum antistes inter sacra; causarum patronus inter clientes; et medicus inter ipsos aegrotantes. Ex Theoriae enim praeceptis nullo modo habentur: quae exercitio potius, quam institutione scimus formari. Theoria sola duce, nec bene conficies calceos; nec apte saltabis. Hic opus est Praxi, quam his in rebus neglexisse, summa est inatura. Quis pugnam capieferit et schedulis magistri; aut vitam egerit prudentem et cathedrae solius regulis et praeceptis? Vt autem Praxis intempestive negligitur; ita etiam temere interdum celebratur: quod quidem aetati nostrae ystius statutus est illo. — — Quia enim Praeceos via paululum est planior, quam Theoriae; hinc illa huic saepe bene praeferitur. Sane placet, quod iam doctores, ut se pueris accommodent, puerorum induant personam, eorumque educationem e Praxi potissimum forment,

◆ ◆ ◆ ◆ ◆

forment, quia ob vitae et virium rationem altiora nec capiunt; nec illa magnopere indigent. Placet, quae plebis instruatio e Praxi est instituta. Instruat orator; instruat scriptor concretis, singulis et exemplis, si auditorum et lectorum conditio non admiserit arida praecepta. Satis est, infantem et turbam meditationis expertem, ad caecam imitationem mouisse exemplis et vsu; nisi ad spontaneam actionem duci possit praeceptis et ratione. Sed hic vitium Praxi, necessitati parentes; non vero quod Praxis damna reficiat neglegit Theorie, nedum ut superfluum eam reddat. Suademos enim interim faciliora, dum vires difficultiora concederint. Peccare igitur videntur, qui homines virium matriorum, vitaque generis altioris non minus e sola formati sunt Praxi, quam infirmos et imbecilles: Quique, quod puerum docent ludendo et iocando, iuuem ad ratione instituentes, eruditum, vt fartorem formant. Ludendo proprie non magis discitur; quam ludimus discedendo: Sic agendo caeci quidem imitatores; sed non rerum autores euadimus docti et subtiles. Sola Praxis haud raro ex homine format animal: ex natura, quae ornata est ratione, machinam consilii expertem. Quantum autem homo animalibus; et natura humana machinis mente cassis, praefat; tantum quisque laboret, ne animal videatur, qui homo esse possit et debeat. Praxis igitur in se praeclera et excellens, vel neglecta, vel culta intempestive, noxia erit et perniciosea.

§. XV.

Audiat Theorie praecepta, qui cum rebus etiam causas; et causarum cum rebus nexum, scire et perspicere concupiscit: audiat qui rebus occupatus est magnis et grauioribus: audiat potissimum, qui inter eruditos vult haberi. In his neglexisse studium Theorie, non dicam dampnum; sed irreparabilis est iactura. Hinc omnino nocent, qui hodie Theorias tantopere oppugnant, ipsisque eruditis dissuadent, nocentque ita, vt verear, ne tandem reipublicae doctae pestiferi siant et letales. Notae sunt controversiae, quae inter recentiores de linguis et disciplinis tradendis, hauriendisque tanto animorum moro geruntur. Sunt enim, qui praeceptis plane neglegunt, non modo linguis; sed et cum linguis adeo disciplinas solo vsu et Praxi, i. e. lectione veteris potissimum aeu scriptorum hauriri posse et debere contendant; et si cum rerum ipsarum ratio; tum quoque experientia contrarium suaderet. Non quidem ad eos in viam reducendos me temere cingo, cum Ernestios, Morum, Heynium, Reitzium, Harlesium, Henckium, Schützium et alios viros celeberrimos videam: attamen paucula sunt dicenda, quia materies me inuitum fere
huius

his licibus quasi illaqueat. Sermo enim iam est de Theoriae et Praxeos
vſu et pretio! Mea autem qualicunque sententia, rerum cognitionem do-
cam, de qua hic agitur, haç via non acquirimus. E Praxi et sola veter-
um lectione, ne linguam quidem satis capi arbitror, nedum ut pariter
capiatur grauior disciplina: neutra quoque, legendo, loquendo et scri-
bendo coniunctim, tenetur; tantum abeft, ut alterutra, aut vtraque adeo,
legendo solum acquiratur. De linguis haud quidem diffiteor, legendo
lectionem, scribendo scriptionem, et loquendo formari loquela. Sed
his omnibus nequitiam gignitur subtilis et docta linguae aestimandae et
diuidandae facultas: hocquo deprehenditur in linguis peregrinis aequa,
ac nostra. Sic puella gallice legendo, scribendo, garriendo, tandem in
lingua quidem fibi acquirit habitum, minime vero sermonis scientiam
eruditam. Saltem rara erunt exempla, nisi plane defuerint, licet haud
paucae bene scribant, legant et loquantur. Sic in vita communi homi-
nes vernacularam discunt: et tamen eorum nemo inter eruditos harum re-
rum refertur censores. Legant, loquantur, scribant Germanicam aequa,
ac Cicero Romanam, nisi praeceptis simul fuerint imbuti, non puto, vl-
lum in sententia docta et subtili ferenda, ad eos esse prouocaturum.
Qui igitur inter eruditos linguarum arbitros velis haberi; qui linguas po-
tissimum graecam et latinam, non vulgari, sed vitae discas eruditae; lege,
scribe, loquere, quibus adiunge praecepta. Legio sine praeceptis cae-
cum fingit opificem; praecepta sine lectione virum quidem in linguis
subtilem; sed non exercitatum. Sic ne linguarum quidem ex sola le-
ctione venit docta cognitio; eo magis autem miramur; si id exspecte-
tur in disciplinis, haç via cum linguis simul, hauriendis. Non nego, cum
verbis etiam rerum; vt cum rebus verborum, aliquam cognitionem iun-
gi posse ac debere. Verba enim sine rerum, et res sine verborum in-
telligentia, vana sunt simulacula, et soni inanes. Minime tamen putaueris,
te ex hac leuiori rerum cognitione, quae verbis adhaeret, doctam captu-
rum esse scientiam. Verborum potius et rerum plane diuersa sunt stu-
dia. Alterum adiuuat alterum; sed non absoluunt. Alioquin enim iure
eodem, et forsitan etiam meliori, contendetur, cum disciplinis simul tra-
dendas esse linguas. Sed quid singularis haec sententia profuerit! Agno-
scamus potius, in his, vt in omni re inuoluta et distenta, valere illud;
diuide et impera. Tantae enim cum in verbis, tum in rebus sunt diffi-
cultates, et inuolucra; ut harum et eorum studium accuratius et subti-
lius, totam sibi vindicet et occupet attentionem. Dum versamur in alte-
rius,

ro, alterum debet interea paululum differri; ne coniuncto utroque, utrumque negligas. Doce tironem vocum scripturam et sonum; doce nominum et verborum copiam et flexionem, cum particularum natura et significatu; doce in singulis usum et variationem; in coniunctis ordinem et nexus; doce enunciationum et sententiarum pulchritudines, periodorum structuram et totius orationis numeros; doce exemplorum, similitudinum et argumentorum pondus et ornamenta; doce troporum in primis indolem et fontes; adsperge ad formam externam, notulas de varia lectione; ad internam, de statu civili et sacro, de historia, antiquitatibus etc.; forsitan dixeris, quibus tirones, imbecillioris et immaturae plerumque aetatis, sint contenti.

§. XIV.

Haec igitur legendo, cum verbis iungi et acquiri proprie potest rerum cognitione: quam si putes; non est, quod contradicam. Hoc autem ab omni doctore perito fieri, et factum esse constat; sine tanto clamore, qui iam undique sublatus, aures circumsonat et obtundit. Si autem his notulis et obseruationculis, in scriptorum lectione, ad verborum et rerum explicationem, inspersis, ipsam doctam scientiam absoluti putes; vereor, ne parumper erres. Scientia docta non ὡς ἐν παρέδω acquiretur, id est uero et Praxi; nec obtinetur scriptoris lectione, leui braccio instituta; minus fere lectione Graecorum atque Romanorum. Hi enim ipsi disciplinas, quas doctas vocamus, raro habuerunt, sive habuerint; certe in libris suis tradidisse eas nolunt videri. Ex ipsius Xenophontis, Platonis, Liuique scriptis, quamuis ceterum egregia et diuina sint, vix doctam quidem hausturus es scientiam, nisi recentiorum adsumseris labores. Quid ipsa foret Historia Graeca et Romana, quae tam ex priscis solum petenda esse videtur, quid foret inquam, nisi recentiores in illa colligenda, explicanda et elaboranda tam insignem et diuturnam posuissent operam? Pauci sunt, qui ostendant in singulis diligentiam et studium subtile; in coniunctis doctam et accuratam, ad quam nos adspiramus rerum compaginem. Practica fere magnam partem est inter eos cognitione, ut inde scripta cognitionis doctae quidem contineant semina et particulæ; sed non ipsam scientiam doctam et eruditam. Si autem in his legendis, disciplinae omnino iungendae sint cum linguis; timeo, ut supplendi, emendandi, et refutandi nullus sit finis. Det igitur Scholarum magister praecipue operam, ut suis in veterum lectione, praeter rerum leuiorem expositionem,

ex-

explicit verba: cum his iungat grammatices praecepta, ut potissimum doctam insillet linguarum cognitionem. Disciplinas vero ipsas plane relinquat Academiae doctori, quae, cum praemissa fuerit solidior linguarum cognitio, facilime sequentur. Intelligentia enim rerum adiuuatur cognitione verborum; et ad doctrinae thesauros, via optime linguarum studio paratur. Dum igitur versamur in schola, discamus e Ciceronis operibus linguam, non vero doctrinae praecepta, nisi peruerse acturi, quaeferimus apud exteros et mortuos, quae inter domesticos et viuos meliora et aptiora deprehendimus. Hoc intemperissimum, sapientiae et doctrinae ex sola veterum lectione perficienda, studium; haecque disciplinarum cum linguis temeraria coniunctio, seu potius conuersio, ad causas pertinet primarias, confusis multorum et superficiariae eruditiois, quam optimus quisque aerati nostrae iam imputat et damnat. Habeimus sane in scholis viros celeberrimos, Fischerum, Krebsium, Geislerum, Gottleberum, Bauerum, Schellerum, Strothium, Rostium etc. quorum omnium et singulorum, ut auditor suissem, ex intimo animo aequa optauerim; ac scholis Baruthinis, mihiique potissimum, de Kappii, viri tanti, in me meritis, gratulor. Sed sunt etiam in quibusdam praecepue scholis inferioribus, doctores, quorum alia videtur esse ratio. Hi, vt simulent Professores personam, tironi, linguis neglegitis, ingerunt et obtrudunt disciplinas, quae non tam stomachum fiant, quam efflant indigestae. Hinc Academiae doctores, vt reficiant damna Rectoris, recurrent ad linguas, vt nos mole inutili euacuent aegros, et mammis de-nuo praebindis, nobis inferant aptiora. Sed vel remedio pigro et inani, eruda augetur moles, vt stomachus aeger altius intumescat: vel etiam efficaci et praeferenti triennium perdant necesse est, purgando et lactando, coque exacto, stomachus latrat ieunus.

§. XVII.

Simili fere ratione studium Theologiae solidius parumper negligi videtur ab iis, qui illud e sola librorum sacrorum lectione absolui posse putent. Lectio enim Bibliorum format quidem christianum; sed non Theogum: E libris sacris petenda est religio, quae ad vitam piam et prudentem conductic; sed via scientia illa harum rerum Acroamatica, quae cathedrae etc. sufficiat (I Semlerus sane, Noeseltus, Ernestius, Koernerus, Seilerus, Dietelmeyerus, Danouius, etc. summi nominis inter nostrates Theologi, aliter sentiunt et statuunt, id, quod saltem ex eo-

rum scriptis doctissimis appareat. De Physics studio, Praxi interdum
 nimis accommodato, vix audeo loqui; quia me his in rebus non satis
 sentio versatum. Prouoco potius ad lumen illorum, Kaestneri, vtrius-
 que Suckouii, Karstenii, Funcckii, Eberti, his in rebus sententias. Hi diu-
 dicent, an illi, qui naturae arcana experiendo magis, quam praecipien-
 do iam explicant, a via docta interdum parumper declinet, nec ne-
 Sunt enim, qui, cum exponendum et probandum sit, ad ma-
 chinas potius fugiant artificiosas, ludantque experimentis, vt vo-
 cant. Hinc, si exemplo vti licet, accidit, vt quidam vel solam
 an tliam pneumaticam tantum in semestri torqueant, vt auditores et spe-
 catores exantlandi magis peritiam, quam naturae cognitionem hau-
 stum venisse videantur. Obseruationes et experientia, cum vulgaris,
 tum artificiosa, Physics cultori omnino sunt necessariae, vt inde Peri-
 patetici merito perstringantur, quod eas nimis neglexerint: Ex iis enim
 solis rerum principia haurienda, explicanda, et formanda sunt. Vti ta-
 men vulgaris experientia fere est quotidiana, et, sine multo labore et
 sumtu, sese omnibus sponte offerens, rerum ipsarum naturam optime ex-
 primit; artificiosa vero partim molestiam parit, moratur et magni con-
 stat; partim etiam, si vel semper ex voto cesserit, ob miseram plerum-
 que machinarum conditionem, immensa naturae opera vix magnopere
 imitarur: ita in vniuersum obseruationes sane praferendae sunt experi-
 mentis. Deinde quia solis exemplis, nec eruuntur causae, nec ostendit-
 tur causarum cum effectibus nexus; sed, ad haec omnia inspicienda et
 discenda, via tantum paratur; mea quidem sententia obseruandi et ex-
 periendi studium, quantopere etiam colendum sit, maximam tamen
 partem pertinet inter magistri labores priuatos. Coram vero naturae
 mysteria, non tam omnibus et singulis obseruationibus et experimen-
 tis, quam magnam partem allegandis et enarrandis explicit, vt tempori
 parcat, et locus sit praecepsit. Omitto hic eos, qui alia ex parte, Pra-
 xin pae ceteris vrgentes, scientiam ephemeridum, diariorum, chartula-
 rumque lusoriarum ope instillantes, nocent: Scribunt enim potissimum
 infantilis; non iuueni et viris. Sed in Historiae institutione labi quos-
 dam parumper putauerim. Cum enim alii anxe sint occupati in re-
 rum, quas enarrant, causis euoluendis; alii et rebus ipsis ad mores for-
 mandos petant materiem; illi ex Historicis sunt Philosophi; hi trans-
 mutantur in morum doctores, ita, vt haec rerum tractatio, licet in se
 praeclara sit, tamen saepe videatur incommoda et intempestiuia. Sic
 enim

enim historiae filum partim interrupitur; partim aequo longius producitur, et cathedra ipsa, admonendo et dehortando, abit saepenumero in suggestum. Meo quidem iudicio doctori, dum saltet historiae ponit fundamenta, subsistendum est in simplici et accurata rerum gestarum enarratione: earum vero vsum, qui fieri potest ad homines emendandos, relinquat morum et religionis doctori. Hic Historiae, uti Physices thesauris largissimus, suo tempore vtatur, et Historiam aequa, ac Physicam doceat Pragmaticam. Ceterum non putandum est solam Historiam et Physicam doceri posse, et debere Pragmaticam. Quamuis enim harum rerum ea sit conditio, ut ad homines formandos prae aliis sint idoneae: omnis, tamen scientia Theoretica aequa fieri potest Pragmatica; ac cognitio Pragmatica Theoreticae formam haud raro induit. Natura scientiam, nec Theoreticam, nec Practicam, definiri: hoc vnice pendet ab vnu et arbitrio humano. Dum mortalibus consentaneum est, solis inhaerere rerum principiis erundis; scientia permanet Theoretica: dum autem, pie et prudenter agendi regulas ex iis elicere, hominum conditio suadet; id quod antea fuit Theoreticum, fieri iam potest Practicum. Hinc etiam nec Praxeos et artium, nec Theoriae et disciplinarum, conditio et termini sunt immutabiles et perennes. Hic et ibi, pro rerum diuerso statu, excludimus recepta; recipimus exclusa: haecque omnia pro vni nostro diuersam iungimus et separamus. Scribimus adeo plebi; quae antea solis dicta erant eruditis; scribimus contra eruditis, quae olim solius erant plebis. Sed ohe! iam satis est verborum, quae fecimus de Theoria et Praxi. Colat Theoriam, qui in speculando; colat Praxim, qui in agendo, feliciter vult versari. Quia tamen nec Praxis perfecta est sine Theoria; nec Theoria sine Praxi: colat et iungat utramque, qui perfectus vult haberi. Nocet Theoriae et Systematis, nocet Praxeos et Empiriae nimis inhaesio et studium factiosum. Iungat eruditus cum praecipiti experientiam et vsum; ne, quae vera et solida sunt, obliuiscens, cum umbra et larvis pugnet: et, quum hominibus sit viendum, viuat specieis: iungat opifex, si possit, cum vnu et exercitio, praecepta; ne, subtili et accurata rerum suarum neglecta cognitione, solo suo cum danno edocet, sero erroris pericula agnoscat: iungat potissimum artifex cum Praxi Theoriam, ne, contentis praecipris, artes ipsas contentui exponat, recidatque inter vulgus, qui doctis potuisse annumerari. In omni re Praxis est alter; Theoria alter oculus: quique hac, aut illa eret, certe carebit oculo.

CORO-



COROLLARIA.


- I.) Si cognitionem species; in Praxi difficultia non esse possunt, quae sunt vere facilia in Theoriis;
- II.) Quae omnino vera sunt in Theoria; nec falsa sunt in Praxi;
- III.) Vere bonus Theoreticus, non potest esse malus Practicus.



ULB Halle
005 361 443

3





DE
PRAXEOS ET THEORIAE

INDOLE, NEXV ET VSV

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

QVAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN ACADEMIA LIPSIENSIS

CONSENSVS

A. D. XVIII. MAII A. R. S. CLO 13 CCLXXXI

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBIICIENT

M. GEORGIVS NICOLAVS BREHM

CVRILANVS,

ATQVE CERTAMINIS SOCIVS
CAROLVS THEOPHILVS PLATO

LVSAT. ET THEOL. CVLT.

LIPSIAE,
EX OFFICINA BÜTTNERIA.

